liberis spurijs deprehensis. Quibus diuulgatis ⁊ proditis raptim cuz simulacris ⁊ edibus excidebantur et crimina. Idolum. .ccxviij.

Iaz vero canopi quis enumeret lupsticiosa flagicia. vbi pretextu sacerdotalium litterarum. ita etenim appellant antiquas egiptiozuz litteras magice artis erat pene publica schola. quē cum velut fontē quendā atz oziginem demonum in tantū venerabantur pagani vt multo maioz celebzitas ibi q̄ apud alexandriam haberetur. Sed de hui⁹ quoqz monstri erroze cuiusmodi oziginē tradāt absurduz non erit paucis exponere. Ferunt aliqui caldeos ignē deū suuz circunferentes cum omniuz prouinciarum dijs habuisse cōflictuz. q̄ scilz qui vicissz hic esse deus ab omnibus crederetur reliquarum prouinciaz dij eris. auris. argenti ve. aut ligni aut lapidis. aut ex quacunqz materia constabant. que per ignem proculdubio corrumperētur ex q̄ ignis locis omnibus obtineret. Hec cū audissz canopi sacerdos callidū q̄dda excogitauit. Idrie fieri solent in egipti partibus fictiles vndiqz crebzis ⁊ minutis admodum foraminib⁹ patule. quib⁹ turbida aqua desudans defecatioz ac purioz redditur. Harum ille vnaz cera foraminibus obturatis. desuper etiam varijs colozibus pictam aqua repletaz statuit vt deum. ⁊ excisuz veteris simulacri q̄ menelai gubernatozis ferebatur caput desuper positum diligēter aptauit. Assunt post hec chaldei. initur ī conflictum circa idriam ignis accenditur. cera qua foramina obturata fuerant resoluit. fudante idria ignis extinguitur. sacerdotis fraude canopus chaldeorum victoz ostenditur. vnde ipsum canopi simulacruz pedibus pereziguis attracto collo ⁊ q̄si sugillato ventre tumido in modum idrie cum dozso tereti fozmatur. ⁊ ex hac persuasione velut de victoz omnium colebatur

Finit distinctio nona
Incipit distinctio decima

Incipit decima ⁊ vltima distictio Speculi exemplozum in qua habentur exempla que aut verissima relatione didici. aut in libzis teutonicis scripta inueni vel ipe facta cognoui. Verum vt pulcro atqz hierarchico ozdine a summis ad inferioza descēdamus. primo loco ea exēpla ponēda sunt que speciali quodaz intuitu ipsam diuinam naturam conspiciūt secundo que beatam virginem mariam concernunt. tertio ea narrabim⁹ que angelicam naturam consequuntur. quarto que ad ꝓbos virtuosos qz homines pertinent disserem⁹ q̄nto vero ⁊ infimo loco nō ab re ea locabimus que improbi atqz peruersi homines aut passi sūt aut fecerūt. qui ozdo facile patere poterit curiosus singula intuenti

Q. spiritus sanctus desperatū iuuenem ad spem venie sua benignitate erexit

Exemplum primum

Erant duo fratres veterini honestis satis ozti parētib⁹ q̄ cā discendaz litterarū missi ad studium parisiense. etū pa

rili voto ciuitatē intrauerant dispa
ri tū ⁊ nimis cōtraria via incedebāt
Nā iunior vtpote timens deū nego
tium ob quod ad studiuz venit dili
genti⁹ prosequēs litteris operaz da
bat. instabat lectioni. deuotioni ani
mū inclinabat. ⁊ ne sese aliena mali
cia ab ingenita probitate subuertēt
prauorū sodalicia vt pnicioſissimaz
salutis sue pestem studuit euitare. or
nabat morib⁹ pueriles annos etatē
virtute vincebat. Senior vero p ali
os tramites non tā incedens q̄ deui
ans velut erratica ouis p viciorum
anfract⁹ ferebatur. ⁊ dimisso studio
oblita qz causa ob quam et venerat
insolentibus quibusdam socijs iun
ctus nobile tempus lusibus deduce
bat. vacabat potibus. taxillis pater
nam substantiam distrahebat. ⁊ qō
his omnibus infelici⁹ erat vsqz adeo
femora sua meretricibus inclinabat
vt velut ingentem q̄ndam iacturaz
passus ingemeret si quauis occasiōe
vel vnum diem absqz fornicationis
crimine transegissz. Cunqz sic conti
nuata malicia miser plurimos dies
pageret crescereqz vehementius se
mel inchoata peruersitas. cepit im
proba iuuenis fama aerem ipm infi
cere puriorē. ⁊ ad omniū nares tam
horrendum quendam scelerum feto
rem ingerē. vt nō studentes mō sz eē
plebeia multitudo reprobā ei⁹ vitā
incipet ab horrere. Quod cū iunior
frater didicissz. semel. bis. ter. iterum
atqz iterum fratrē postulabat vt in
tuitu tremendi iudicij a tātis sceleri
bus animū reuocaret. Sz cū ille fer
reo quodā seu eneo pectore saluber
rima mniota indies refutaret nollet
qz finem dare tante miserie. iuuenis
zelo fraterne salutis accensus lachry
mat⁹ est dicens. Spernis germane
dulcissime spūm dei te nūc p me am
monentē ⁊ quasi ludū paruloꝝ qc
q̄d minat irrides. veniet veniet dies
illa ⁊ cito veniet. q̄ te spūsancto tam
obstinata mēte restitisse penitebit. Et
his dictis tristis abscessit. Interi tū
anxie satis petens dōm vt ipe duris
simum fratris animū ad penitētiam
emolliret. Dōs aūt q̄ non spernit vo
ta piorū nolens pijssimū iuuenis ani
mū tā acerbis tristitiaꝝ procellis di
utius agitari repētina ⁊ grauissima
infirmitate fratrē pcussum ad lectū
prostrauit. in quo cū iaceret ⁊ paui
da mente q̄ fecisset recoleret incepit
miser multitudine sceleru pressus ad
baratrū desperationis prouere. q̄
igitur nocte vidit virum quendam
veneranda tectū canicie. vultu deco
rum ⁊ fulgida stola vestitum sibi assi
stere seseqz seueri⁹ ituerī. Unde quia
sp presumit seua perturbata consciē
tia. animo ⁊ mente consternatus ce
pit toto corpore tremē. ⁊ territis lu
minibus in seniorem versis quisnam
essz qui intempeste noctis caligine
ad se terrendum venisset inquirere.
Et senior. ego sum inquit pater cele
stis qui te cum non esses creaui. qui
tabidis tuis membris vitam infudi.
qui animam potentijs ⁊ corpus sen
sibus illustraui. qui solem lunam ⁊ sy
dera ad tuum obsequium celis infi
xi. qui te nimia charitate diligēs vt
deserta malicia virtutibus animum
dares vt ageres pniam vt corrigēs
vitam frequenter ammonui. Sz nūc
eo q̄ obstinata mente monita salu
tis hactenus semper abieceris veni
ad te vt dicerez tibi q̄ sis filius mor
tis perpetue. Hac igitur responsione
confusum et graui sudore madentez
reliquit. Cunqz enim miser per totū
reliquum noctis et posteram diem

timens ac tremens illam horrendā
horā expectaret. q̄ ꝑm celestis patris
oraculū ad eterna fuēat supplicia me
atur⁹. ꝓxima nocte venit ad eum iu
uenis quidaꝫ vir priori vultu haud
multū dissimilis nudus corpore co
ronat⁹ sentibus. crucis grauissimaꝫ
trabē ferens in humeris. q̄ ꝑ laceruꝫ
vulneribus pectus abunde satis san
guineꝫ videbatur effundere. Hic cū
ꝓpius accessissꝫ ⁊ iuuenē vtrum ne se
agnosceret interrogassꝫ. respondit il
le. Non agnosco. sed meo iudicio il
li qui me hesterno vesperi mala de
nunciatione deterruit videris esse si
millimus. Et ille. non mireris inq̄t
me similē illi cum quo mihi est vna
dīnitas equalis gloria coeterna ma
iestas. Sum enim iesus christus fili
us dei qui humani generis miserat⁹
errores de celi sedibus in intemera
tum virginis vterum descendi. vnde
tanq̄ꝫ sponsus egressus de thalamo
vt te redimerem misero apparui mū
do. vbi post famem. sitim algorē. tan
dem captus sum. iudicatus suꝫ mor
te turpissima condemnatus suꝫ. Ue
rum quia tu infelix tantis beneficijs
te prebuisti immemorē. nūc veni ad
te vt te filiū mortis eterne pronunci
arem. Et his dictis profluentes e la
tere cruorem manu comprehensuꝫ ī
iuuenis vultum proiecit. Sume īq̄t
in confusionem preciosum sanguinē
qui ceteris in redemptioneꝫ effusus
est. ⁊ hec agens disparuit. Tunc iuue
nis omni vigore corporis ꝯmisso. ꝑ
dita spe obriguit. tremuit expalluit.
⁊ quo se ꝺ cetero verteret ignorauit
Misit tū nūcium ad fratrem suū. qui
cum venissꝫ vidissꝫ qꝫ flebilem satis
fratris effigiem concussis vehemēt
visceribus cū eiulatu plorauit. quo
modo inquiens taꝫ velociter expal
luit quondam illa facies decora. et
solitum robur fortissimi amisere la
certi? Quid tibi factum est frater mi
ꝙ me iam nunc illa miserabili fron
te deterres. quā paulo ante desidera
uerunt oculi inuisere puellaꝝ? Quo
abijt purpureus ille rubor genaruꝫ
tuarum. quem me reclamante velut
acerbum laqueum feminei pudoris
ante oculos ferebas concinentiuꝫ in
choro feminarum? Ubi sunt nunc il
li insolentissimi sodales tui. magistri
qui te totiens a meo latere rapuerūt
⁊ nunc in baratro tam vaste despe
rationis reliquerūt? Oportuerat cer
te frater mi saluberrima illa moni
ta me a quibus te paulo ante a ne
phandis operibus nitebar cohibere
non refelli. ne in hanc miseram iactu
ram florentis iuuente deuenires. Ui
de ergo nunc an me falsum vatem
acceperis cum te spirituisancto resti
tisse doliturum non tam dixi q̄ ꝓ
phetaui. Hic tamen mihi quid ꝙ cō
sternata facie ⁊ tremulis membris
tanto sudore madescis. Si aduersa
valitudo ī causa est forti animo esto
plures de grauioribus etiaꝫ infirmi
tatibus conualuerūt. Si te peccata
terrent. propone emendam. veniam
pete. dole non despera. Quippe est
clementissimus dominus omnipo
tens deus qui in puncto temporis
penitenti latroni non modo veniaꝫ
tribuit. quinetiam paradisum spo
spondit. Ad que verba paululum
erigens moribundum caput ⁊ om
nem rei geste narrans historiam. dā
nauit inquit me scelestum filium ce
lestis pater ihesus christ⁹ filius dei
cruore in meum vultum proiecto sā
guinem pro me effusum omnino ac
penitus perditum designauit. Quo
circa dulcis germane non valeo sub
tantis testibus damnationis mee. e
iam si sanguinem fleuero de salute

te presumere. stat nãq firma sup me
cterni iudicis censura. remedia peni
tentie vacillabunt. Tunc frater cum
ingenti fiducia. etsi te inqt pater cui
ascribitur veritas impenitentez ad
huc damnare visus sit. ⁊ filiꝰ dei cui
assignatur iudicij equitas te in puer
sa voluntate iacentem sanguinis sui
participatiõe indignũ ratus sit. nec
vel sic despanduz est illi cui tempus
datũ est penitẽdi. Adquiesce igitur
vel sero monitis meis ⁊ ꝓnões emẽ
dam scelerũ maculas pio lachryma
rum imbre deterge lugubri ore. pro
fundis suspirijs presbytero venturo
vulnera detege. quis scit si spiritꝰ san
ctus qui teste bernardo est benigni
tas dei. ⁊ idem ipe deus ita peniten
tẽ absoluat. His verbis fratris pau
lulũ consolatus iussit adesse presby
terum. Qui dum venissz totus in la
chrymas resolutꝰ cum tanto dolore
animi sui peccata q̃bus deũ offende
rat confessus est. vt interrumpẽtibꝰ
sermonẽ gemitibꝰ vix mentis conce
ptum valeret exprimẽ. vix lacerata
⁊ semirupta verba proferre. qua cõ
fessione rite celebrata. ⁊ sacra vnctio
ne. ⁊ participatione dominici corpo
ris munitus. tempꝰ quo ex hac vita
essz migraturus expectabat. Sequẽ
ti igitur nocte venit ad eũ aliꝰ q̃dam
vir prioribus non disparem habẽs
vultum fulgenti alba vestitꝰ. habẽs
in dextera scapula nineã q̃ndã colũ
bam. Is cum propius accessissz dul
ci quadam beniuolentia vultuz sere
nans clementes oculos in infernuz
contorsit. Qõ cum iuuenis aduertis
set tum ob veraz pñiaz. tũ etiã ob be
niuolẽtissimos vultꝰ ꝓsone apparen
tis animequior factus est. quis tu es
domine inquiẽs qui ad me venire
dignatus es. q̃q me tam pijs cõspe
ctibus consolari videris prioribꝰ vi
sionibꝰ pterritum? Et ille. Ego inqt
spũssanctus q̃ a patre filio q̃ proce
dens vniꝰ sum cuz ipis potentie. Et
idcirco nũc veni ad te vt nunciarem
tibi dimissa eẽ peca tua. ⁊ quiuz iter
patere ad regna celestia transituro.
Ad q̃ verba q̃i ex barathro despatio
nis resurgens ait. O pater pauperũ
o consolator merentium animoruz.
o omniũ miserorꝝ dulce refugiuz q̃d
est q̃d audio? Nuz patebũt celestes
value mihi quẽ pater ⁊ filiꝰ reũ mor
tis eẽ contestati sunt. cui pennes flã
mas minati sunt. a quo taz crebre q̃
impudenter offensi sunt? Num hac
mea exili pñia hoc terribile decretũ
incõmutabilis veritatis poterit im
mutari? Ad que spũssanctus respon
dit. Forti animo esto. nec de salute
vacilles. validos hz penitentia vera
lacertos. ipi terrifice maiestati vio
lentiam infert. vincit inuincibilem.
mutat incommutabilem. placat ira
scentem. Sed ne te diutius protra
ham. perseuerans in penitentia quã
cepisti dispone domui tue ⁊ virtuti
bꝰ q̃bꝰ potes interim thalamũ orna.
post triduum veniens ad te vt ani
mam tuam supra astra ferentes gau
dijs celestibus inuehamus. Et cum
his spiritus sanctus disparuit. iuue
nis post triduum obijt. ⁊ ad regna
celestia ob veram quaz habuit peni
tentiam felix migrauit.

Quomodo iudei corpus christi
in partes sciderunt ⁊ miraculosũ san
guinem de eodem corpore effude
runt. .ij.

Quanq̃ iam non loquatur pro
pheta. ⁊ pene cessasse videntur om
nia miracula dei. mundus q̃z ipe ca
rismatibus diuine clementie videa

atur orbatus. ne tñ piaꝝ atqꝫ simpli
ciũ mentiũ fides circa terrificũ sacra
mentũ corporis iesu xp̄i vacillet pa
riat qꝫ errores. etiã vsqꝫ in nostram
etatẽ memoriã fecit de⁹ mirabilium
suorũ circa escã quam dedit timenti
bus se. et vsqꝫ nunc taꝫ stupenda mi
randa qꝫ circa sacrosanctaꝫ euchari
stiã prodigia fulgent. vt etiã ꝑfidas
aĩas iudaice plebis sui fulgoris cla
ritate reuerberet. innataꝫ qꝫ hebreis
caliginez magis magis qꝫ discutiat
Sꝫ quia adhuc iacent in tenebris ꝓ
digia lucis. me scribente. ⁊ si non vni
uersa plura tñ proiecto longi⁹ mo-
dio supra candelabruꝫ omnib⁹ lucẽ
fusura locanda sunt. Et in primis d̄
his que circa venerabilẽ hostiam fa
cta sũt ĩ vvratislauia que teuthonice
breslou nũcupata est ⁊ in regione bo
hemie sita loquamur. In hac siq̄dez
ciuitate nescio qua necessitate ciues
compulsi ĩ illis quattuor temporib⁹
que post crucis venire solent solen-
nem satis processionẽ fieri statuerũt
in qua vt facilius offẽsos oculos di
uine maiestatis ad clementiam pro
uocarent corpus xp̄i iesu filij sui cui
pro reuerentia nihil negandu ꝫ arbi
trati sunt cũ debita veneratione por
tauerunt. Quod cum facerẽt ⁊ deuo
te plebes passim per loca in terram
proruerent ⁊ exilem hostiam ceu do
minũ deum vt erat adorarent. ꝑfidi
iudei qui forte in suis sinagogis la-
tescẽtes hoc viderant ceperunt inui
cem arridere. eousqꝫ scilꝫ processisse
xp̄ianam simplicitatem vt eam ip̄aꝫ
hostiam quã hi ip̄i christiani manu
confecerant. ignis flãma decoxerat.
ferrum egit in formam creatorez ce
li ⁊ terre maris qꝫ considerent. Vñ
inuicem cõicato consilio statuerunt
se non parcituros pecunie dũmodo
huius rei veritatem possent expiri.
Pertransitis igitur nõ multis dieb⁹
cum quodaꝫ vesperi fere vniuersi iu
dei prenominate ciuitatis in vnam
domum congesti essent celebrassent
qꝫ leta conuiuia. prebuit vinum peri
turis audaciam. ⁊ vocantes ad se cu
stodem in intempesta noctis caligi-
ne. erat eniꝫ hora noctis quasi vnde
cima. ecce inquiunt in hoc vno stat
huius quem cernis sacri conuentus
summa consilij vt expiri velim⁹ vtꝝ
illa hostia quam christiani adorant
deus sit. vtrũ quoqꝫ panis ille mate
ria re forma ⁊ natura reclamantib⁹
in carnem transiuit ⁊ sanguinem. q̄d
igitur dabimus tibi vt tu cui huius
hostie est ꝯmissa custodia nobis eaꝫ
tradas Stabat attonitus hac noua
petitiõe infelix custos ⁊ varijs cogi-
tationum procellis estuabat. Hinc
eum a nephãdo ꝯmertio retraxit ti
mor. illic attraxit auida numi execrã
da cupiditas. atꝫ sic estuans expectã
tibus iudeis protelabat responsum.
Dicit ergo ei. quid ageris frustra co
gitationum fluctibus ⁊ nobis ingra
tas moras ĩtexis. Si vis nobis tra
dere hostiam quam optamus. nõ te
id gratis acturuꝫ rere. quia triginta
aureos dabimus tibi. At custos au
diens se pro exili hostiola tanta ca-
pturũ breuissima consultatione cuꝫ
vxore prehabita. nam ⁊ ip̄am addu
xerat data manu infaustis emptori
bus cõmertium scelestuꝫ firmauit.
ea tñ lege promissa vt rem secretam
reseruarẽt. Placꝫ vniuersis prouida
viri cõditio. Unde misso cum custo
de vno ex eis qui hostiam ferret tri
ginta aureos tribuerũt Pergunt igi
tur ad ecclesiam simul. ⁊ referans ta
bernaculum alter iudas. dominum
deum ⁊ creatorez suum perfidis iu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

iudei manibus deferēdū assignauit. His itaq; patratis abijt custos in domū suam. sed iudeus cum ad eos q̄ se misissent intrassz eleuato in sublime corpore iesu xp̄i. hic est īquit panis ille quem xp̄iani in carnē trāsisse dicūt ⁊ sanguinē. Videam⁹ igit̄ nūc in eo quid lateat. Posita est itaq; mēsa imposita q; hostia quam blasphemauerūt. conspuerunt ⁊ incidentes cultris atq; lanceolis ꝑforauerūt. ⁊ sic rursum filium dei crucifixerunt. Cunq; hec cōtinuato furore ꝑagerent. fierent q; furēdo seuiores cepit exigue molis hostiola tam copiose cruorem sparsim ꝑ incisiones effundere vt per madentē sanguine mensam hostie portiones hac illacq; diffluerent. Quare perfida multitudo in clamorē concitata quidnam hoc essz obstupuit. Ad quorū clamorem diuino nutu vigiles q̄ custodiebant ciuitatē excitati iacto ꝑ fenestrarum rimas visu rem vt facta erat didicerant. quapropter in lachrimas resoluti insolitis clamoꝝ strepitib⁹ dormientes ciues excitabant. qui cū q̄d factū essz cognouissent vlulatu fletu gemitibus totā ciuitatem perturbabant. Assunt subito vexilla xp̄i cum crucibus. ⁊ accensis in breui nō paucis luminibus vt graui iniuria offēsum celi terre q; creatorem demulceret concinens cler⁹ procedit. Sz dū propius accessissent atz ip̄i vidissent regē glorie in proprio sanguine fluitare proiectis vexillis ⁊ crucib⁹ sese ꝑ prona in terram proijciūt. vbi cantibus eorū in gemitib⁹ cōmutatis o glorie vaste sacrariū inquiunt q̄s te tam grauiter vulnerauit? quis sāguinem tuū tam īmaniter fudit? quis te taz atrociter in partes dissecuit? Ve illis incestis manibus qui te generosum sanguinem mortaliū oculis videndum prebuerunt. Satius em̄ fuisset te sub tegumento sacramentaliū specierum lumine fidei q̄ corporalibus oculis intueri. Cunq; hec his q; similia saucij dolore dixissent surgentes a terra mensam ip̄am cuz corpore in sanguine profluente missis cantu fletibus ad ecclesiam detulerunt. Ubi cum debita veneratione collectis corporis partibus ⁊ congesto in vasculuz anguine mensā ip̄az in publico loco omnibus visendam suspendunt. Verum ne frustra claruissz tam insigne prodigium iudeorū qui hec viderant quidam quidez ad fidem conuersi sunt ⁊ sacri baptismatis vnda renati. Quidam vero ī sua ꝑfidia permanentes vsq; ad centum quinquaginta. si tamen me numer⁹ non fallat. flammis iniecti sunt ⁊ tragedie per se facte digna supplicia susceperūt. Atuero custos vt in nullo a magistri sui iude successibus deuiaret. exterrens populuz horrendis q̄busdam ac desperatione plenis clamoribus vna cum vxore sceleris cōscia laqueo suspensus interijt.

Quomodo diaboli qui ita facti sunt vt nullum verēntur diuina virtute compulsi sacramento corporis domini nostri iesu christi reuerentiā exhibuerunt.

Eo tempore quo triūphis .iij. clarus dux burgūdie philipp⁹ sicut ⁊ ceteras sue ditioni subiectas ꝓuincias comitatum hollandie non ambigua prouidentia amministrabat. circa alcmariam eiusdez comitatus famosum opidum in monasterio regulariū eilo vulgari vocabulo noīatū firmissima relatione didici ꝯtigis

se. Quod scz quodam tempore dum custos prefati monasterij i hora surgentis aurore fratres ad primas cõcinendas campane compulsu cõuocaret. audiuit post terguz numerose cuiusdam multitudinis strepitũ insonare. et cum scire cuperet q̃nam hi essent qui citra aliorũ hominũ psuetudinem morem q̃z ea hora ad suaz ecclesiã pmeassent. paululum in obliquũ reflexa ceruice. ne forte ĩdiscipliato intuitu intrantẽ in eccĩam plebem scandalizaret. vidit venire quẽdam procerum statura viruz nigra pendula qz tunica indutum. ⁊ scapulis more piccardico tumentib⁹ pilleum sublime in capite deferentem. habentem q̃z in pedib⁹ longissimis rostris calceos preminentes ⁊ familiãse subsequentem multam nimis. quẽ cum predictus custos aliquem principem ob ducis negotia exequenda ab haga comitis missum suspicatus est ⁊ officiũ inchoatuz impleuit. Sz dum compulsum campane diuti⁹ ꝓtelaret. pertesi demones. naz illi erãt quos viderat odiosam vocez subito per valuas chori cum fragore irrũpunt raptas sedes scamna qz confuso ordine in prostratum terrore monachum iaciunt. Quo facto comprehensam monstrantiã in qua xp̃i corpus summa veneratione dignũ resedit. manib⁹ violenter contra inuicez pressis ceu fluidaz glebã infra supra qz vsq̃z ad corp⁹ iesu xp̃i indigni⁹ cõpresserunt. Corpus tũ ipsum in cui⁹ honore omne genu flectendum est. quod etiam barathra tremũt intactũ inuiolatũq̃z reliquerunt. ⁊ sic aquilonari chori vitro ita vt nec reliquie quidem remanerent secum sumpto cum ingenti tumultu tota illa demonum multitudo versus feruidum tẽpestatibus mare ferebatur. At vt vesani furoris sui vbi qz insignia remanerent totum illud vsq̃z ad mare ab ecclesia iter tragedijs replet. Siquidem hic euulsam radicitus arborez strauit. illic pẽdulis frondiũ lacinijs ⁊ vi fractis ramis salicem reliquit. hic prodiga lactis vacca repentina clade ꝓcussa est. illic pascens equus interc luso dentibus gramine terre relisus occisus est. vbiq̃z praue maiestatis insignia relinquebãt. Custos vero diuino presidio sensibus reditus vsq̃z hodie. nisi me fallat opinio mirandum orbi prodigium volentibus audire denunciat. Patet ex hoc crudeli facto quanto odio maligni spiritus flagrẽt aduersus genus humanũ quorum totus conatus ẽ genus humanum secum perdere. vt cũ ipsi miseri sint miserie socios q̃z plurimos habere possint cuz iuxta vulgatum prouerbium. Solatiũ sit miseris socium habere in penis. Quippe qui mali sunt ⁊ tanta malicia pleni vt a malis inferẽdis abstinere nõ possint. Quomodo enim ignis q̃ calidus est non potest non calefacere id cui admotus fuerit. et quomodo sol qui lucid⁹ est imo fons luminis non potest non illuminare aerez cui presto est. Ita etiam maligni spirit⁹ a malo faciendo cessare non possũt nisi diuina bonitas eos seruire prohibeat.

Quomodo quidam a demone ꝓcussus virtute venerabilis sacramenti miraculose sanatus est .xiij.

Sunt iã ni fallor elapsi nouez anni q̃ quidã vir in villa non longe a traiecto iferiori sita vesperi duz sol vergeret ad occasũ q̃ppiã factur⁹ sol⁹ egrederet in proximã domui siluam

vbi cum esset nescio quo iudicio dei venit quidam gigantee magnitudinis vir terribilem habens vultū. Is pugno percussum sub genibus virū eiulantem altius ⁊ auxiliū inclamantem prostrauit abijt nusq̄ comparuit. Quo facto familia dom⁹ ad flebilem viri clamorem perterrita surgit ac ingrediens siluam virum querit ⁊ inuenit. Cunq̄ pallidum vultu pdita voce ⁊ versis horrendius luminibus videret iacentem. quoniā mortalia se deseruere presidia. ad sanctorū auxilia recurrerunt. Percussum igit̄ iacentem q̄ virum ad sanctum geronem qui in egmundia vsq̄ in presēs miraculis claret cum sufficienti oblatione deferendum deuouerūt. quo voto nō ābiguis spe fide ⁊ charitate fulo vir etsi mēbrorū virib⁹ destitutū loquentem tamen ⁊ sua infortunia enarrantem ad domum baiularunt. donec ordinatis his que ad viā necessaria erāt paucis diebus intercurrentibus ad prenominatum sanctū inualidum virum deueherent. Cūq̄ ptransita posita q̄ arrepti itineris non modica portione amsterdāmis hollandie partium non incognitam ciuitatē venissent vsq̄ adeo languor inualuit vt ceu celerius moriturum hominem quoniam aliud congruētius in tali necessitate hospitiū non apparuit ad hospitale cogerent deferre. vbi cum fere per sex septem vel ebdomadas mortis imperia anxius expectaret quadā nocte pulcerrimā vultu ⁊ fulgenti stola vestitam virginem aureum diadema in capite pferentem sibi assistere vidit. ⁊ ex clemēti pijssime virginis aspectu sumēs audaciā. quenam es tu inquit pulcerrima mulierum que non verita pauperrimi hominis miseram sortem huc ītrare dignā es. pſertim cum vultu īcessu habitu omniū mortaliū decorem felix deuiceris? Ad que virgo. ego sum īquit illa humilima feminarum. miserorum forte refugium. cui⁹ dominus humilitatem respiciens īuiolato pudore matrez dei constituit. ⁊ huc nunc veni ad te vt dicerem tibi q̄ si sanitatē recipere placet te ad sanctum locū ferri precipias vbi circūductus per venerabile sacramēti insigne tabernaculum celeri⁹ amissum robur ⁊ fractas vires recipies. Et his dictis se in celum virgo recepit. At vir mane facto aduocatam ad se mulierem cui infirmorum custodia incūbebat petit vt se indutuz vestibus ad sanctum locum celerius deportaret. Miratur illa ad petitionem insolitam ⁊ anhelantem virum mortiq̄ proximum vel paululū molestare pauescit. Ammonuit igit̄ euz vt a nocitura sibi postulatione desistens. domino vt animaz citius abituram in celū deueheret supplicaret. Sed cū ille quid vidissz audisset q̄z femine intimasz ⁊ ipa rem a deo agi perciperet aliorū freta auxlio viruz vt petijt ad sanctum locum. sic enim nominabatur ecclesia illa vbi venerabile sacramentum pre ceteris locis sue diuinitatis potentiam demōstrauit deferebat. Vbi cum eum vt didicerat circa tabernaculum semel bis ter duxissent in girum quolibet circuitu adauctus viribus tandem integre sanitatis beneficium reportauit. ⁊ his qui se illuc detulissent agilior. exultans ⁊ laudans deum peregrinationem ad sanctum geronez vt vouerat adimpleuit

De virtute venerabilis sacramenti ouis a lupo rapta miraculose liberatur.

Erat in monasterio quodaz v. deuotus quidam laic⁹ pastor ouiū

simplex et tinens dñm deum. Is cuz quadam vice post perceptionē corporis iesu xp̄i circa custodiā ouiū suarum solicitus custos assisteret vidit subito venientē e silua lupū q̄ raptā egrege morditus ouē deuehens viā qua venit recurrit. Quod cū laicus frater grauiter ferret cū sūma cōpassione oculos in celū iaciens. o. xp̄e inquit pastor bone. o tollens pctā mūdi agne dei quē hodie ī cibū sumpsi hanc captiuā ouiculā tibi ꝯmēdo tu serua ꝯmissam Nā ego eam raptam videre possū iuuare nō possū. Mirares hac orōne fusa edacissimū anīal nec auiditate cibi nec ingluuie sui ad hoc induci potuit vt ouē tali tutori ꝯmissam aut lederet aut voraret Illesam igit̄ inuiolatāq; reiecit. Quam pastor ingenti gratiaꝝ actione deo refusa gregi restituit. et recens gestū miraculū patribus enarrauit.

Quod beata virgo tētatū spiritu fornicationis fratrē a tentatione liberauit.

Sextum.

Erat quidam presbyter deo multum deuotus et naturali quodā castitatis dono refulgens ordinis cruciferoꝝ. cuius etsi mihi nomē nō incognitum est. nec incerta habitatio. subticere tñ vtrūq; volui. ne aut ipsi pudorē. nam verecund⁹ est. aut mihi adulationis notā infigerē. Is cuz a primordijs florentis iuuente fere vsz ad tricesimū annū vel nullos omnino ob ingēitam castitatē. aut admodū paucos carnaliū tentationū est⁹ ꝑsensisset. nescio qua demonis īuidia actum sit vt in ꝓuectiori etate tā grauib⁹ tentationū carnaliū fluctib⁹ inciꝑet agitari. vt de ꝑiculo castitatis hesitans grauiter trepidaret Cunq; demon īmundas cogitationes diu noctuq; ingereret ⁊ predictus frater profundus suspirijs prodigl. lachrymis et sanctissimis precib⁹ ambigua satis victoria recertaret. tandē ad reginā virginē mariā spei sue anchorā fixit. ipsamq; adiutricē sub tā acerba certaminis mole sibi fieri postulauit Verum dū illa nō acceleraret p̄sidiū sz texerat moras anxie repugnāti vidit quadā vice in altari coraz quo se in orationem ꝓstrauit virginis marie et beate ghertrudis imagines vl' sculptas nescio vel pictas Sed cū reginam celi aureo diademate renitentē et beataz ghertrudē humiliori velo tectā cōspiceret. vt videlicet imparile meritū dispar habitus denotaēt colūbina simplicitate plenus in hūc modum cepit ꝑorare Nō debueras virgo maria benedicta me crebri⁹ te inuocantem hacten⁹ ꝓtraxisse. ⁊ huc usq; in tuis castris militāti diu sepeq; optata negasse presidia. cum te et vulgatū nomē miseroꝝ adiutricē. et regiū diadema virginū principem signent Verum nunc qꝛ graui⁹ seuiēte hoste in me video ꝑiclitari castra pudoris. et bellū impar virib⁹ meis impositū cerno. atq; ex hoc conijcio hosti in ꝓximo cessura trophea. eo vsq; noueris rem ꝓcessisse vt hodie felix virgo regium diadema aut retineas aut amittas. Si iuueris fessuz manebit tibi. si vero vl' adhuc p̄cantē spreueris. detracta sublimi de vertice corona gertrudis virginis caput ornabo At ipsa cū se viderit per me hoc honore p̄uentā. tantis beneficijs nō ingrata a turpibus cogitationū ꝓcellis me liberum atq; securū efficiet O deus quid non facit innocētis hominis sancta simplicitas? Mox enim vt his verbis genitricem dei et reginam celi conueuisset. ipsa quasi tanti honoris fastigio nolens priuari mi-

nantem sibi fratrem ab hmōi tentati
one tam potenter eripuit. vt post il-
lam horā vsq; in presens temp⁹ dica
tur carnaliū tentationū fluctib⁹ non
quassari. sed de tūc accepta puritate
nunc quoq; letatur.

Qd beata virgo maria negligenti
solita suffragia amplexū denegauit.

Septimum.

In monasterio regulariuz prope
swollis vulgari noīne mons sancte
agnetis nominato erat quidā mona
chus dictus thomas chempis. quem
nedū sanctissima atq; innocentissima
vita religiosum. verumetiā deuotissi
ma scripta reddidē famosum. Is cū
iuuenis esset et dauētrie scholas fre
quentaret deuoti viri magistri florē-
tij qui ꝯgregationi que illic est nomē
imposuit regimini se subiecit. atz eaz
deuotionē quā in ꝓuectori etate co
piose abundeq; scribens effudit puer
imbibit Habuit em̄ deuotus puer in
ter cetera pie deuotōnis sue exercitia
etiā illaz ꝯsuetudinē vt dietim capta
hora certas orationes atz suffragia
de beata virgine maria quasi diurnā
pensionem exsolueret. nam diligebat
eam. et vehementer amore sibi iunge
bat̄ Verum qz instabilis et nutabun-
da est puerilis deuotio cepit et in eo
laxioribus velis pia hec consuetudo
nauigare Pede tentim igitur solitas
orationes atz suffragia prīo ad vnā
diem. dehinc ad duos aut tres. de-
mum ad quatuor tandē ad integraz
septimanā neglexit. ⁊ qd magis dolē
dum est postremo vniuersa postpo-
suit. Quod dum ageret visum est sibi
in visione nocturna quasi staret in a-
trio predicti magistri florētij vbi dū
vna cum alijs scholaribus qui illuc
confluebant ad audiendum diuinuz
verbum auidas aures ad ea que di-
cebantur inclinaret. conspexit in nu
bibus celi desuper venientem domi
nam mundi. que dum facie decora et
fulgenti habitu ad predictū atrium
descendisset circuiuit fratres qui illic
verbum dei audientibus loquebant̄.
et nunc hūc nunc illum amorosissime
amplexata. gratias videbat̄ eis refū
dere ꝙ tam pijs ammotionib⁹ sata-
gere viderent̄ ne precium sanguinis
dulcissimi filij sui in illis iuuenib⁹ de
periret At adolescēs hec intuens et
videns virginem in mulierib⁹ bene
dictam ruere in amplexus fratrū di
centium. ardens et estuans liquescēs
et sperans stabat. et in ipsum amoro
sum lumē firmius detorquens intra
semetipsum dicebat. Paululum expe
ctabo et cum felix virgo charitatis
insignia ceteris sufficienter ostēderit
tunc etiam et mihi. qui eam etsi non
digno saltem possibili amore ꝓsecu
tus sum. habebit amplexum charita
tis offerre. Sed heu quia sepe in con
trarium vadunt spes firme mortaliū
iuuenis osculū sperabat dulce pign⁹
amoris. sed verbum aspere increpati
onis accepit. Siquidem virgo bea-
ta postea quā singulos qui pijs am
monitionib⁹ florentē cōfluentiū scho
lariū etatē ad meliora ꝓuehebāt dul
cibus amplexibus demulsisset venit
tandem ad predictum adolescentem
⁊ serioribus luminibus eum aspiciēs
frustra inquit amplexum petis sācti
amoris hostis acerbe qui exosa ami
cicie negligentia malo consule fret⁹.
debitam atq; solitam mihi pensionē
flammantium precum nō soluis Si-
quidem vbi nunc sunt consuete p̄ces
tue? Quo solite orationes auolarūt
Ubi mixta suspirijs pia suffragia?
Nonne refriguit in te charitas. tor-
puit amor. deuotio quōdam habita
vacillauit? Et nūc tu quasi nihil pec
catum sit stas et audaci frōte ample

xum manes. qui argui magis merui
sti. Et indignabunda vultū auertēs
abi inquit abi a me. qꝛ amplexibus
meis indignus censeberis qui tam fa
cilem precem amate soluere neglexi
sti. atq; sic iustis increpationibus la
ceratum relinquēs. celis refusa dispa
ruit. Ceterum iuuenis post visionez
euigilans discutit conscientiam. inue
nit culpam. proponit emendā. Et ne
de cetero virginis beate frustraret
amplexib⁹ neglecta dimissaq; suffra
gia ita legēda rearripuit. vt vsq; in
finez vite sue nullo ea die auserit po
stergare O felix reprehēsio que cor
rexit errorē. que amoris federa pau
lulum dirupta resarcijt. que negligē
tie neuum excussit.

Quod isdem frater thomas ꝑ be
nedicta nomina iesus xp̄s et angeli
cam salutatōnem se terrentem demo
nem prefugauit.

Octauum.

Cum quadam vice predictuz fra
trem thomam demon vellet deterrē
nocte in teterrima horrēdaq; forma
eidem appuit quem cum frater tho
mas lecto appropinquare vidisset.
intremuit primum ad larualem intui
tum et quid contra tam horrendi ho
stis insidias auxilij sumēt ignorauit.
Tandem diuino spiritu instigat⁹ an
gelicam cepit salutationem tremula
voce. nam vehemēter extimuit q̄ me
lius potuit personare. Sed diabol⁹
quasi nihil ad hanc salutatōnem mo
tus magis magisq; trepido cepit ꝓ
ximare. quousq; monachus in saluta
tione predicta eousq; ꝑnenissz. vt do
minus noster iesus xp̄us amen accla
maret. Quod terrificum nomen vbi
demon audiuit quasi horrendo quo
dam tonitruo pauefactus vultū ver
tit et q̄ citissime potuit clamātis vo
cem aufugit Uidēs igitur frater tho
mas ad tāti nomīs virtutem demo
nem stare nō posse. audacius caput
pauidum erexit. et repetitis vicibus
benedictum nomen iesus xp̄s post fu
gientem hostem inclamauit. et quo
ipse clamabat fortius eo vehementi
us teter spiritus fugiebat Quod vbi
cognouit r̄ligiosus vir gratias agēs
domino deo dixit apud se. Si hoc
sanctissimo nomine tam facile possū
aduerse potestatis vires infringere
de cetero nolo vt hacten⁹ feci. vel de
monum machinamenta timere. vel
sub eorum q̄uis horrendis minis fi
de vacillante trepidare.

Quod angelus domini iuuenem
quendam eo q̄ prauis socijs se iun
xisset data alapa correxit.

Nonum

Zwollis oppiduz insigne traiectē
sis diocesis est. vbi quod dicturus sū
firma didici relatione cōtigisse Erat
ibi sicut et in ceteris scholis nō argu
enda consuetudo vt scholaribus ibi
dem frequentantibus vno vl' duob⁹
diebus in septimana cōcederetur de
centibus ludis tensum studendi rigo
rem paululum relaxare. ne si nimium
iuueniles animos indefessa studiosi
tate lacesserent. aut schole fastidium
aut sensuum ꝑturbata ratione incur
rerent detrimentū. Nam sicut dura
tas trabes si nimium flexeris frāges
sic tenera adolescētum ingenia si im
moderato rigore grauaueris p̄mes.
Pressa enim in sublime ferri non pos
sunt Modus tamen s̄m quintilianū
in huiusmodi remissionibus ille s̄uā
dus est. ne aut odium studiorum fa
ciant negate. aut ocij consuetudinem
nimie. Quidam igitur eiusdem oppi
di scholares hac sua congestione vti
volentes eo pacto lusuri campos in
trauerūt. vt hi qui ludentes amitte
rent bibendam illo vespere ceruisiaz

soli soluerēt suosq; victores ab expo
sitione tutarent. Cunq; huiuscemōi
lusibus diem duxissent in vesperum
ac sufficiente symbolo facto remean
dum viderent. vnus ex illis qui eoꝝ
signifer atq; dux adinsolētiam vide
batur. quoniam inquit sufficiens sim
bolum lusuum indicio factū est abū
dabatq; pecunia hoc vesperi in poti
bus consumenda. nunc quia vrgenti
bus tenebris est oppidum repeten
dum. vl' semel adhuc ea lege ludam⁹
vt quisquis nostrum victor extiterit
quodcūq; libuerit eo pacto alijs im
peret vt qui imperantis iussa implē
contempserit. vnus et solus future ce
ne soluat impendia. atq; sic lucrata
hactenus pecunia in aliud temp⁹ re
seruetur Placet omnibus concepta
propositaq; inuentio. et reparato lu
do quisq; vt sic precipere ceteris lice
at arte atq; industria qua potest ela
borat. Veruz quia frequenter felicio
ra fata prauis arrident. soleatq; im
probos comitari fortuna fecundior.
is qui omnibus nequior erat iuuan
te victoria preceptor effectus est Vn̄
solenni celebriq; cena completa cun
ctis imperat se sequātur. Quo impe
rato surgit nequam a cena. exit idem
precedit ceteri ignari ꝛnescij quo itu
ruz sceleris ducere subsequunt̄. Heu
res nephanda. Ingreditur lupanar
infaustus lupus. et postq̄ completa
libidine exisset vt similiter vicissim
omnes facerēt sub penalis pacti eua
sione turpis belua imperauit. Pa
rent omnes nephando precepto et
libenti animo. nam libidine estuabāt
quod agere iussi sunt adimplerunt.
Vnus tamen ex eis quem nedum for
ma corporea. que in eo elegātissima
erat. decorum effecit. verumetiaz ꝓ
bitas et honestas necnon et virgine
us quidam rubor pulchris reddide
rat pulchriorē. ad exitiale preceptuz
exhorrēs pallentibus genis intremu
it. petijt sodales vt liber sibi prebere
tur egressus. maxime quia hactenus
seruasset inuiolata castra pudoris.
firmassz q; animo se vita potius quā
virginitatem ꝑditurū His adolescē
tis verbis non ꝯpuncti sed prouoca
ti sodales. vi abstractū e collo pallio
lum tenent. nec se illud reddituros af
firmant. nisi expectātis se femine am
plexibus iungeretur. Num tu inqui
unt seruata castimonia vnus et sol⁹
nostram omnium luxuriam irrideb⁹?
Tum iuuenis vt obstinatam sodaliū
malitiam vidit. non ignarus consilij
letos atq; festiuos reinduit vultus.
et lacerū dolorib⁹ animuz serena frō
te dissimulans. si omno inquit libet
me vestris amplexibus habere ꝯsor
tem. valeat nunc felix virginitas et
cum id tempus exegerit memorez se
faciat ꝙ hactenus cum summa vene
ratōne in meis sit laribus hospitata
Et cum hec dixisset rapido cursu se
ad cubile meretricis quasi cōcubitu
rus ingessit. in cuius limine cum in
troiturus consisteret versa in terguz
fronte vt minus notaretur sodalib⁹
inclamauit. Num solis virginibus
celi patebunt. et non etiam post adul
teria dauid et plures alij regna me
ruere mansura? Ad hec sodales in ca
sum concitati plausum fecerūt. Ipse
tamen anxie satis in intimis cordis
sui penetralibus dominum nostrum
iesum christum precabatur ne caueā
scorti. naufragum videlicet pelagus
virginei pudoris ingressus castitatis.
dispendia pateretur Atq; sic introi
ens firmatis sollicitius forium seris
ne quid cuz femina loqueretur expe
pectantes pre ianuis sodales rescirēt
et gestientem in suos amplexus femi
nam paululū declinans huiuscemōi

verbis affatur Quoniam nō ignoro infelix soror q̃ te in hanc miseram infamemq̃ vitam non tam pudicitie odium.q̃ capiēde pecunie amor ēns miserit.ausus sum introire ad te. et nunc amoris arbitris colloqui, tibi tecū tamen longe sit anima mea vt cum in pudicicie vastū periculum velim quicquam peruersi agere vl'virginitatem meaz quā gratia dei vsqz ad mortem imolatam tuebor tuis aliarum ve feminarum amplexibus constuprare. Quia igit me ad te nō tam lasciuia inuexit quam compulit temerata malis praua societas. redimere malo quam violare pudorem. Interim apertis marsubijs non contemnendi valoris argenteum nūmū protulit.quem femine tribuens ait. Sume hunc numum et secretum habe.nulliqz pandas q̃ saluis virginitatis sigill'abs te hac hora secesserim alioquin si sodalibus res hec innotesceret se in mea damna armarent. Accepit nummum prostituta femīa et videns pudicam iuuenis verecundamqz effigiem ammirata est vehementer.adolescentem tenerum annis tanta morum honestate et verborū grauitate stare conspicuum.vt nec in eam nec in quamlibz polluti cubilis partem pudicum lumen disiecit. Ūn adhortata eum ne a propositi sui puritate decideret se rem secretam retēturam spopondit.et in pace abire p̄cepit. At iuuenis cū ad socios expectantes redijsset.et post insolentes discursus et varios platearum circuit' tempus profunde noctis quiescēdū preciperet ab eis diuisus ad proprīa cōmeauit. Verū quia indecens fuerat tante probitati tam improbis sodalibus sui prebere consortium.non est passus pijssimus deus qui semper quos diligit arguit et castigat hanc offensam impune pretergredi.sed tā q̃ benignissimus pastor balantī. ouicule sue hoc modo emendauit errorē Gradiebatur solus per viam vt iret domum haud parum in semetipso ammirans.q̃ potuisset illam metuēde leene caueam illesus intactus q̃ euadere. Cunqz talia memorans girato in obliquum gradu in alium vicum diuertisset qui recto itinere ad suum hospitium dirigebat.subito vidit ante se per horrende noctis caliginem personam quandam cuius virilis facies.nam vir videbatur micātium astorum lumen reuincens inuisa plateam luce perfudit. Qui appropians extra manu tanto ictus impetu in maxillam iuuenis palmaz fixit vt vi verberis in terram relisus palpitaret dicens Vel hoc verbere doctus prauе sodalitatis virulenta contagia vereare At iuuenis cum post breuissimam horaz casus sui resurgeret visurus quisnam ipsum tam violenta alapa consternasz nullum preter se circa se vidit. qua ex re angelū suum fuisse qui diuino imperio ipsū de errore commisso corrigeret non ambigua estimatione arbitratus.ad hospitium alacer repedauit non minus de p̄digiosa ⁊ profutura sibi correctione gauisus quam de verberis acerbitate solicitus Ceterum ne fantasticum aliquid circa se p̄tigisse iuuenis crederet.⁊ somnio se magis deceptum esse quam re gesta instructuz esse putaret.diuina dispensatione factum est q̃ per plures dies cesa maxilla in tantum distensa pelle tumuerit.vt ad aliquot dies in publicum procedere tanta genarum disparilitate veretur. O felix iusti rigoris et e celsissimis celis missa censura. que dū vnius errorem digno verbere cecidisti.euidens dedisti documentum po

steris. quantum deo angelisq; displi
ceat insontem adolescentum etatem
insolentibus sodalibus commisceri.
Sed nunc in fine exempli quibus te
verbis digne lacerem nescio sceleste
preceptor. qui dum preuia conuenti
one et penali pacto noueras omnes
sodales preceptis tuis parituros et
non ausuros tua violare imperia. q̄-
re non iubendo docuisti. florentis iu
uentutis dignissimaz indolem virtu
tibus animum dare inuiolata serua
re castra pudoris. et diuinis magis
q̄ tuis iussis corda inflectere. nisi q̄ a
magistro diabolo idcirco iubereris
tam inauditum ludum effingere. vt
te sodalesq; tuos seu⁹ parricidia stu
prata virginitate perimeres. Sed ex
pecta paulisper et videbis tu tuiq; se
quaces q̄ metuendus iudex egre p-
tulerit animas rosea sanguinis sui ef
fusione redemptas tuis iussis exem
plis et consilijs perijsse.

Quomodo quidam magister pa
risiensis scientie sue titulos negligēs
ad humillima se officia inclinauit

Decimum.

Posteaq̄ magistri gerardi nomi
ne et re magni industria atz consilio
monasterium regularium canonico
rum in diocesi traiectēsi nomine wī-
desim in toto orbe famosum fundati
onis sue rudimenta iactasset. atq; in
eo viri diuino spiritu feruentes sub
optima disciplina latescerent. baiula
fama eos glorificante. nonnulli par-
tarum rerum diuitijs abundantes in
seculo eductis imo violentis precib⁹
raptis ex p̄fato monasterio prioribꝰ
in diuersis locis eiusdez ordinis clau
stra ea lege fundauerunt. vt tam scā
atz iam recens plantata vinea diffu-
sis quaqua versum palmitib⁹ arentē
senio orbem felici ebrietate infunde-
rent Inter que et illud monasteriuz
non bassam regularis obseruantie se
dem accepit quod nō longe ab oppi
do noerthorēsi felicia sua septa loca
uit et nunc diues virtutibus religio
ne et sanctitate conspicuum felix ger
men fecunde deuotionis longe late
q; dispergit. In quo id qd̄ dictur⁹
sum firmissima didici relatione con
tigisse Siquidem idem monasteriuz
